

IUSTI LIPSI  
AD  
ANNALES  
COR. TACITI

LIBER  
COMMENTARIVS

Variis in locis vtiliter auctus.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Ioannem Moretum.

MD. LXX.

*Cum Privilegijs Casarce ac Regio.*

# AD LECTOREM.



ABES Commentarium meum, Lector, opinione tuâ, & promisso meo fortasse tardius. nec mirum: quia serio opus adgressus, eiusmodi comperi, ut properandum in eo mihi fuerit, non festinandum. Multa in Annalium libris rara, recondita, & paucitate scriptorum eius æui obscura: multa etiam ex non vulgatis ritibus & vetustissimo iure haurienda. Nec dux mihi alius ad hoc iter. Primi, inquam, hanc viam ingredimur, Ferreto, Alciato, Vertranio visam potius quam tritam. Denique scripsi hos Commentarios, non exscripsi: & meo remigio, ut ille ait, rem gessi. Correctiones aliquot veteres firmaui, novas addidi. neutrum ambitiosè: quia certè peccamus iam nos Critici in hanc partem; & ut olim vitiis, sic nunc remediis laboratur. Quædam etiam in aliis scriptoribus passim animaduersa: non quia adfectarim, sed quia dabant se sub manum. Ut in segete flores quidam internascuntur suâ sponte: sic in his scriptis alieni generis notæ. Historiæ & moribus, cum opus fuit, prætuli facem: sed non nisi cum opus. Nam vulgata quædam, & è Dione Suetonioque in loco prompta adspargere, cui rei? Fanaticorum est & eorum qui exierunt è potestate, mero meridie accendere lucernam. Et tamen, scio, facilia quædam mihi visa, quæ obscura aliis. sed quid? iamantè testor me nec pueris ista elaborasse (quidenim iis cum Tacito?) nec detortis quibusdam varisque iudiciis,



2

# I V S T I L I P S I A D L I B R V M P R I M V M A N N A L I V M C O M M E N T A R I V S .



1. **C**AIUS CORNELII Taciti.] *Id verum huic scriptori prænomen adserui. Sidonius lib. IV. ad Polemium epistola: Caius Tacitus è maioribus vnus tuus, Vlpianorum tempotum consularis. Et ad Leonem: Namque & antiquitus cum Caius Cornelius Tacitus Caio Plinio Secundo paria fuisset. Sed & epigraphæ Farnesiam libri, C. Cornelij Taciti Romanas historias scribentis ex his qui reperiuntur liber primus. Publum prænomen quod in libro tritis, à casu aut à vulgo est. Mihi autem in ipso aditu testari placet, Odi profanum vulgus & arceo.*

Prænomen Taciti quod.

2. **Annalium liber.]** *Bene Rhenanus, qui hanc inscriptionem adserui, etiam contra libros. In quibus plerisque est, Actorum diurnalium, vel, vt in Veneto, Actionum diurnalium. Qui tamen titulus non accepto referendus alicui imperito. Vnde enim illi in mentem fuissent Acta, vel Diurna? sed cupiam antiquioris aui, qui Taciti Annales non ineptissime comparauit cum Actis vrbis. Quem tamen refellit ipse Tacitus lib. XIII. Nerone II. L. Pisonæ Coll. pauca memoriâ digna euenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus volumina implere: cum ex dignitate populi Rom. repertum sit, res illustres Annalibus, talia diurnis vrbis actis mandare. Alibi: Nemo Annales nostros cum scripturâ eorum contenderit. Itemq;: Ni destinatum mihi foret suum quæque in annum referte. Etiam Iornandes in rebus Gothicis, Corneliuum huic citat Annalium scriptorem.*

Inscriptio horum librorum. Acta diurna non esse.

Annales esse.

3. **Neque Decemuiralis potestas vltra biennium.]** *Ita accipio, quasi dicet, haud multo vltra biennium. Nam exalè si putas, reuera vltra biennium Decemviri imperium tenuere. Liuium. & Fastos vide. Nec tamen Vertranio adsentior, vltra triennium, sufficienti. Nam id includat triennium eos imperasse. quod contra est, & non nisi supra biennium aliquot menses.*

Vulgare lectio cecenas.

4. **Nomine principis sub imperium accepit.]** *Non ergo tam celebre tunc Imperatoris nomen, eâ quidem notatione. Et Augusto visum istud Principis, minuenda inuidia: quia etiam olim Princeps Senatus. Quod exemplum non dubiè secutus. Noïter infra: Non regno tamen neque dictaturâ, sed Principis nomine constitutam republicam. Ouidius de Augusto ad Romulum.*

Principis nomen & origo.

Tu domini nomen, Principis ille tenet.

*Dio de Tiberio: ἀρχαῖος τῆς γερουσίας, καὶ τὸ ἀρχαῖος, ἀρχαῖος ἐστὶ καὶ πρῶτος καὶ ἕταρος ἐστὶ δὲ ἄλλων, ἀνοικράτος ὃ τὸ ἐκπρωτῆς, τὸ δὲ λοιπῶν ἀρχαῖος εἶμι: Princeps autem Senatus, ritu prisco, dicebatur. & ipse sæpe aiebat, Dominum se seruorū esse, Imperatorem militum, principem ceterorū. Nec temerè aliter Tacitus appellat. Inde Principatus, & Principium etiam pro imperio, Suetonij cap. XXXI. Augusti principium, clade Varianâ; Tiberij, ruinâ spectaculorū memorabile factum. Ita opt. liber, & puto sincerè. Tertullianus quidem receptam eam significationem fuisse ostendit, aduersus Hermogenem: Possunt & aliter, inquit, principium interpretari, nō abs re tamen. Nam & in Græco principij vocabulum quod est ἀρχή, non tantū ordinatiuum sed & potestatiuum*

Principium, pro principatu positum.